

quo in fine vergente Joannes V. et Sergius I. ea usi sunt, ut constat ex eorum Rescriptis a Mabillonio productis in suo Opere de re diplomatica, lib. V. p. 436 et lib. VI. p. 622. Ante Leonem IV. vel saltem Gregorium VII. Formulam istam non fuisse stabili usu receptam censet Daniel Papebrochius in Conatu Chronico-Historico ad Catalogum Romanorum Pontificum, ad s. Cletum, num. IV., et Joannes Garnerius Dissertatione I. ad librum diurnum eorundem Pontificum p. 152, in qua dissertatione disputat de inscriptione Epistolae, qua summus Romanus Pontifex ad alios scriberet et ad ipsum scriberetur.

(Catalan. Caerem. Eccles. rom. I. I. p. 85.)

SS. SALVATOR.

(Ut Patronus vel Titular.)

Ad dub.: An Archiepiscopo Bahiae civitatis liceat declarare SS. Salvatorem non esse *Patronum* sed semper fuisse et esse *Titularem* civitatis Bahiensis ejusque Cathedralis adeoque in posterum pro *Titulari* habendum et colendum sub eodem ritu, quem nunc habet et semper habuit, quando Patronus existimabatur.

S. C. resp.: Licere prout in dubio. n. 4239 ad 1 die 16. Febr. 1754.

Ecclesiae, quae Titularem habet SS. Salvatorem, congruit, ut festum de Titulari celebret cum Officio Transfigurationis die sexta Augusti cum octava.

S. R. C. 29. Nov. 1755; 23. Maii 1835.

SALVE REGINA.

(Post miss. recitandum.)

Ordinis Carmelitarum excalceatorum Congreg. Hispaniae.

Porrectis per Patrem Joannem Evangelistam a Jesu Maria Pro-

curatorem Generalem Ordinis Carmelitarum excalceatorum Congregationis Hispaniae humillimis precibus SSmo Domino Nostro Clementi XIII. pro extensione piae consuetudinis vigentis etiam ex permissione Sanctae Sedis apud Fratres Ordinis Carmelitarum antiquae observantiae recitandi in fine Missae Antiphonam: Salve Regina vel aliam secundum tempus cum Versiculis et oratione ante ultimum Evangelium, ad Fratres Carmelitas excalceatos Congregationis Hispaniae, Sanctitas Sua, referente me infrascripto Secretario, gratiam petitam benigne concessit.

Die 29. Novbr. 1766.

(L. † S.) *Joseph. Maria C. Feroni,*
Praef.

V. Macedonius,
S. R. C. Secretar.

(Anal. J. P. 1857 p. 2156.)

SANCTA SANCTORUM.

Vd.: *Sacrarium.*

SANCTI.

1) Canonizati.

a) Cognomina.

Vd.: *Cognomina SSrum.*

b) Honores.

Sanctis canonizatis septem debent honores notavit jam post Bellarminum eruditus Rocca in suo Commentario de Canonizatione Sanctorum cap. XXXVIII. Sunt autem sequentes: I. Canonizati Catalogo Sanctorum adscribuntur, hoc est, jubetur ac statuitur, ut ab omnibus publice colantur ac dicantur Sancti II. Canonizati in publicis Ecclesiae precibus invocantur. III. Tempa et Arae Deo in eorum memoriam et honorem eriguntur. IV. Sacrificia tam Sacrosanctae Eucharistiae quam laudum et precum, quod passim Officium sive Horae canonicae nuncupantur, Deo

4) Ad libitum.

I. Assignatio diei perpetuo impeditorum SSrum.

Vd.: *Transl. perpet.* (licet Episcopo.)

Cum festum s. Canuti m., quod est ad libitum, ob occurrence festi dupl. nunquam potest celebrari, pariter et festum s. Laurentii Just., supplicatur humillime S. R. C., ut possit a loci Ordinario assignari certa et fixa eisdem festis dies, similiter ut festo s. Remigii, quod occurrit infra octav. Dedic. Ecclesiae.

S. C. resp.: Ordinarius ut semel et pro semper assignare possit diem non impeditam extra dominicam et octavas festis s. Canuti, s. Laurentii Just. et s. Remigii non immutata tamen lege SSrum ad libitum.

Die 7. Maii ad 3 in *Varasav.*

II. Translatio.

Vd.: *Festum ad libitum; Dominicae quadrages.; S. Alexius; Officium* (ex Indulto concess.) *Translat. festi part.* (decr. de die 12. Sept. 1840.)

De Sanctis ad libitum fieri potest translatio sicut fit de aliis Sanctis, qui non sunt ad libitum, similiter translatis. n. 2565 die 16. Sept. 1671.

Praedicto decreto (n. 2565) non obstante in futurum Officia SSrum ad libitum non esse transferenda, quando dies eorum festivitatum sunt impediti die dominico aut aliquo alio die festorum mobilium. n. 2763 die 11. Jan. 1676.

Vd.: *infra decr. de die 7. Maii 1678.*

Ad dub.: an stante decreto, ne Officia SS. ad libitum occurrence die dominica aut aliqua die festorum mobilium transferantur, an, inquam Officia occurrence infra octavas eorundem festorum mobilium transferenda sint?

S. C. resp.: Non transferenda sunt. n. 2887 ad 1 die 6. Maii 1679.

in honorem eorundem publice offeruntur. V. Dies festi in eorundem honorem celebrantur. VI. Imagines eorundem pinguntur, addito certo quodam lumine, in signum gloriae, quam habent in Coelo. VII. Eorundem Canonizatorum Reliquiae pretiosis thecis inclusae publice in Ecclesia honorantur. Legendus laudatus Bellarminus lib. I. De Beatitudine Sanctorum; sed prae caeteris Auctoribus SSmus Dominus Noster Benedictus XIV. lib. I:

De Servorum Dei Beatificatione etc. cap. XXXVII., quod inscriptum est: *De actibus cultus Servis Dei post Beatificationem deferendis*, ubi rem ipsam fuse ac solide doctissimeque pro more dilucidavit.

(Catalan. Caerem. Eccles. rom. I. I. p. 242.)

2) Non Canonizati.

(Officium.)

Ubi viget consuetudo immemorabilis, potest recitari officium de Communi pro Sanctis etiam non Canonizatis. S. R. C. 11. Junii 1605 in Visen; et reperitur Brev. Minor. Observ. n. 61. Vide n. 61, 67.

3) Commemoratio.

Ad dub.: An sacerdos, qui a fidelibus eleemosynam accipit ad celebrandam missam in honorem alicujus sancti vel de aliquo mysterio, dum ritus non permittit celebrationem missae votivae, possit saltem missae occurrence commemorationem addere Sancti ipsius vel mysterii?

S. C. resp.: Non licere.

Die 7. Septbr. 1850.

(Corresp. de Rome 1851 Ed. II. n. 57 p. 205.)

Ad dub. 1.: An de semid. vel dupl. ad lib. occurrentibus infra octavas festorum mobilium servanda sit eadem regula, quae praescribitur, cum occurrunt in earum festis Sancti?

2. An praedicta semid. vel dupl. ad libitum occurrentia infra octavas festorum mobilium, quae non admittunt duplicia seu semid. occurrentia, sint transferenda post ipsas octavas?

S. C. resp.: Servetur decretum de non transferendis festis SS. ad libitum.

Die 19. Julii 1687 in Lycien.

Vd. inf. decr. n. 2976.

Ad dub. Ecclesiae Mexicanae, an decretum de non transferendo festum Sanctorum ad libitum impeditum die dominico vel aliquo Sanctorum mobilium comprehendat etiam Officia ad libitum impedita die festo perpetuo alicujus Sancti, ita ut de illo recitari amplius non oporteat, ut contingit in festo s. Andr. Corsini occurrente in die octavae s. Juliani?

S. C. resp.: *Affirmative.* n. 2844 ad 5 die 20. Novbr. 1677.

Officia semiduplicita ad libitum non transferuntur. n. 2928 ad 3 et 4 die 7. Septbr. 1680.

Si Officium ad libit. non potuerit celebrari et habuerit etiam ritum simpl. de praeepto, eo anno non omittatur sed celebretur ritu simpl.

S. R. C. die 13. Junii 1682 in una *Ord. Min. de Obs.*

Decretum Generale.

De non transferendis Officiis SSrum ad libitum.

Dum alias S. R. C. decrevit, Officia Sanctorum ad libitum non esse transferenda, quando dies eorum festivitatum sunt impediti die dominico aut

aliquo alio die festorum mobilium, quaesitum fuit declarari: quae regula servanda sit, quando occurrunt eodem die cum Officiis Sanctorum Calendarii proprii vel translatis vel demum semel per hebdomadam vel per mensem recitari concessis?

Et Sacra eadem Congregatio respondit: „Praedicta Officia Sanctorum ad libitum, etiam duplicia occurrentia in diebus dominicis et Natalitiis Sanctorum alicujus Religionis vel Dioecesis ex vi Calendarii proprii a Sede Apostolica approbati, quamvis sub ritu semiduplici de praeepto celebrandis, non esse transferenda, sed omitti debere; si autem occurrant eodem die, in quo alias aliquod festum translatum poni deberet, tunc liberum fore declaravit eadem Officia ad libitum recitare et Officium translatum ulterius ad aliam diem non impeditum transferre. Prout etiam, omisso Officio, quod semel per hebdomadam aut per mensem ex Apostolico indulto recitari posse decrevit. Et ita ab omnibus, qui ad horas canonicas tenentur, servari mandavit.

N. 2976 die 24. Jan. 1682; n. 3040 ad 1 die 20. Novbr. 1683. *Servari decretum* de die 24. Jan. 1682 S. C. resp. n. 2999 ad 1 die 26. Sept. 1682.

Circa decretum 24. Jan. 1682, in quo habetur, Officia SSrum ad libitum etiam sub ritu dupl. in diebus dominicis et octavis (deest in hoc decreto verbum: octavis) occurrentia, non possint transferri sed omitti debeant, quaeritur: An illa verba in octavis intelligi debeant de die proprio octavae vel de tota octava et an de qualibet octava intelligatur vel saltem de octavis privilegiatis?

S. C. resp.: Verba illa intelligenda de tota octava et quaecunque. n. 3005 ad 1 die 28. Decbr. 1682.

Ad dub.: An illa particula: octavis debeat intelligi de octavis mobilibus an fixis et an in diebus octavae vel de diebus infra octavam?

S. C. resp.: Officia ad libitum occurrentia infra quascunque octavas omittenda et non transl. sunt, nisi indultum fuerit apostol. n. 3172 ad 1 die 25. Septbr. 1688.

Sub decreto gener. die 24. Jan. 1682 comprehenduntur quaedam Officia B. V. M., scilicet: *Sponsalia ejusdem B. V. M. cum s. Josepho* et alia celebrari solita, quatenus cadunt in supradictis designatis temporibus. n. 3051 die 11. Mart. 1684.

In die infra octavam non potest fieri Officium, licet occurrens, de Sancto ad libitum.

S. R. C. die 2. Decbr. 1684.

In occursu non licet transferre off. propr. Ord. vel Dioecesis causa faciendi aliud ad libitum.

S. R. C. die 2. Decbr. 1684.

Quaesitum fuit a S. R. C. declarari: an decretis de non transferendis sed omittendis Officiis Sanctorum ad libitum, quando dies eorum festivitatum sunt impediti alio Officio novem lectionum de praeepto, nempe diebus dominicis, octavis et Natalitiis Sanctorum etc., comprehendantur et revocentur concessionibus Officiorum ad libitum ab Apostolica Sede peculiariter factae et fixae diebus, quae ab eadem jam alteri festo et officio novem lectionum in Calendario Romano erant assignati, recitandi scilicet ad libitum Officium s. Elisabethae Reginae Portugalliae die 4. Julii Officio octavae Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli in Calendario Romano jam impedito?

Et eadem S. C. prout alias Neapolitana die 28. Novembris 1682 respondit: „Non comprehendi: verum si praefatum Officium eo die juxta Ru-

bricas recitari nequeat, tunc et eo casu non esse transferendum sed omitti debere.“ Et ita declaravit. n. 3031 die 2. Octobris 1683.

Ad dub.: An de Sanctis ad libitum possit fieri Officium, quando occurrunt infra octavas non privilegiatas et tantum particulares alicujus Ecclesiae vel Religionis, sicut fit de s. Elisabeth inf. oct. SS. ap. Petri et Pauli 4. Julii?

S. C. resp.: Non posse; Officium autem s. Elisabeth non esse comprehensum in decreto illo (24. Jan. 1682) prohibitivo. n. 3241 ad 6 die 11. Aug. 1691.

Quando in Indultis et decretis super concessione officiorum leguntur verba illa: *Recitari posse, fieri posse*, ita intelligenda sunt, ut nihil significant praeter officia ad libitum, quibus omnino competit decretum diei 24. Jan. 1682.

S. R. C. 20. Novbr. 1683 in London.

Vd. *supra decr. n. 2976* pro Sanctis ad libit. emanatum.

Ad dub.: An sub nomine SSrum ad libitum comprehendantur Officia dupl. et semidupl. SSrum recitari concessa aliquibus regnis, provinciis, civitatibus et alicui particulari Ordini, absque expressa notula: *ad libitum*, sed tantum cum sequenti clausula, nimirum: „recitari possint et valeant“, „recitari posse censuit“; asseritur enim emanatam fuisse quandam declarationem S. C. R. tenoris sequentis, videlicet ex voto S. R. C., ut constat ex responso Archiepiscopi Apameni, ejusdem S. C. Secretarii: sub nomine SSrum ad libitum non comprehenduntur Officia dupl. SSrum aliquibus regnis etc. recitari concessa, ideoque occurrentia in dominicis non debent omitti, uti etiam, si cadent in diebus impeditis, juxta rubricas transferantur.

S. C. resp.: *Negative.* n. 3991 ad 6 die 16. Septbr. 1730.

Ad dub.: Quid agendum sit de Officiis ad libitum occurrentibus infra hebdomadam maj. vel aliis diebus mobilibus, qui, etsi non sint festa, nihilominus excludunt quaecunque duplicia, ut sunt fer. 4. Ciner., Vigilia Pentecost. et Nativ. Dom.?

S. C. resp.: Non sunt transferenda. n. 2887 ad 2 die 6. Maii 1679.

Festa ad libit., quae semper cadunt infra octavas Sanctorum, celebrari non possunt, attento decr. s. m. Innocentii XI. 24. Jan. 1682 emanato prohibente talia festa ad libit. celebrari infra octavas.

S. R. C. 15. Mart. 1698 in *Herbibol.*

In Regnis cath. Regi subjectis concessum fuit Officium Despons. B. V. M. sub ritu dupl. maj. ad libit.; dubit.: an possit fieri, dum semper occurrit cum festo semid. de praecepto in Ecclesia universali?

S. C. resp.: *Negative.* Dieb. 23. Aug. et 13. Septbr. 1704 in *Catan.* ad 2.

Officia ad libitum duplicia, si quae a S. C. sub ritu concessa fuerunt, recitari posse in dominicis non privileg., hoc est 1. et 2. cl., quando in ipsis occurrunt, nec obstat decr. diei 20. Decbr. 1673 emanatum.

Die 7. Maii 1678.

Vd.: *Supra decr. n. 2671.*

5) Officium et Missa.

Cf.: *Lectio nona.*; *Episcopus regul.*; *In-dulg. imag. SS.*; *Translatio.*; *Regulares. Canonisatio.*; *Beati.*; *Reliquia.*; *Patronus.*; *Titulare.*; *Calendar.*; *Officium* (transf. in seq. etc.); *Officium* (oblig. ad quod?); *Sancti.*

De Sanctorum veneratione, quorum in Calendario romano nulla fit mentio, ad Sedem Apostolicam publica documenta exhibeantur, quibus constare possit, an vere tales sint, ut eorum festivitates sint celebrandae et quoniam

modo allegatae consuetudines introductae sint, aut quando et unde ortum habuerint. n. 64 die 7. Sept. 1593.

Recitari potest Officium de Communi pro Sanctis, quorum festivitates ab *immemorabile* tempore celebratae sunt, quamvis non sunt canonizati. n. 263 ad 4 die 11. Junii 1605.

Non potuisse nec posse locorum Ordinarios tam saeculares quam regulares addere Calendariis etiam propriis Sanctorum Officia, nisi ea dumtaxat, quae Breviarii romani Rubricis vel S. R. C. vel Sedis Apostolicae licentia conceduntur. n. 7040 ad 1 (sine dato; videtur emanatum decr. inter 7. Mart. 1628 et 12. Junii 1628.)

Propter solos titulos *Altarium* Officia non debeantur. n. 769 die 28. Aug. 1628.

Aut habent *Episcopi sancti* locorum Officia propria et a Sede Apostolica approbata et debet continuari modo concessio, aut non habent et poterit recitari de communi, si tamen constat, illos fuisse *canonizatos vel per tempus immemorabile* celebratum fuisse de illis Officium et Missam. n. 772 ad 1 die 28. Octbr. 1628.

Potest Officium et Missa celebrari nedum in civitate, in qua fuerunt Episcopi, sed etiam in tota Dioecesi ritu duplici. — Quoad *Archiepiscopos* (sanctos), ut in civitate et *Dioecesi* tantum, non autem in Provincia potest Officium et Missa de eis recitari. *Ibidem.*

Canonici Colleg. Terrae Pagi supplicarunt pro licentia celebrandi festa Sanctorum descriptorum in libello supplici cum octavis ob devotionem populi erga praedictos Sanctos.

S. C. resp.: Quod non sunt alterandae rubricae ob devotionem populi. n. 1034 die 21. Julii 1635.

Festa SS. Donati et Christinae celebrari sub ritu, prout praescribitur in Calendario Romano, non obstante constitutione synodali, cum ob particularem devotionem populi non possint ullo modo alterari rubricae. n. 1025 die 11. Aug. 1635.

Missa celebrari potest de Sanctis illis, qui non sunt notati in Calendario in diebus, in quibus notatur illorum solemnitas in martyrologio, servata forma Rubricarum. n. 1462 ad 2 die 11. Julii 1643.

Officia propria Sanctorum Pinti et Eleutherii Ecclesiae Cathedralis Tornacen., a quadraginta vel sexaginta annis de ordine Capituli examinata et reformata, numquam tamen a sede apost. approbata, exhibenda esse S. C. et interim ea in usum adhiberi non posse. n. 1611 ad 2 die 25. Sept. 1649.

Non teneri imo neque posse recitari Officium de Sanctis illis, de quibus nulla habetur mentio in martyrologio romano vel non constet de identitate eorumnet corporum SS., de quibus mentionem facit martyrologium. n. 2051 die 17. Apr. 1660.

Non potest fieri Officium de Sancto, eo quod *in loco* sit ejus nomine Ecclesia vel reliquia, nisi in proprio titulo Ecclesiae vel ubi est reliquia. n. 2364 ad 2 die 13. Febr. 1666.

Non licere recitare Officium et celebrare missam Sanctorum, quorum corpora fuerunt sibi ultimo loco donata (Clero Limanae) nisi ad formam decretorum desuper editorum. n. 2413 ad 1 die 2. Apr. 1667.

Consuetudo antiqua et immemor. dicendi officium de aliquo Sancto sufficit ad rite continuandum, ut illud recitetur, dummodo immemorabile re-

spiciat festum in martyr. rom. descriptum, sin minus negative.

S. R. C. 7. Mai 1746.

De Sancto canonizato non potest fieri off. extra propriam Eccles. sine novo decreto.

S. R. C. 9. Decbr. 1628.

6) Nomina SS. in Baptis. imponenda.

Bened. PP. XIV. de ritibus etc. in Regnis Madurensi, Mayssurensi etc. Indiarum Oriental.

Praecipimus, ut juxta laudabilem Ecclesiae consuetudinem semper imponatur baptizando a baptizante nomen alicujus Sancti in martyrologio Romano descripti, omnino interdictis nominibus Idolorum vel falsae Religionis poenitentium, quibus Gentiles utuntur et Neophyti hactenus appellari consueverant, antequam essent per Baptismum divinae Gratiae renati. Nec Parochis seu Missionariis sub quovis praetextu liceat, Crucis, Sanctorum et rerum sacrarum nomina per translata immutare, nec ea ullo idiomate explicare, nisi latino vel saltem indico, quatenus voces indicae Regionis latinae significationi liquido et adamussim respondeant.

Die 12. Septbr. 1744.

(Bull. Bened. XIV. t. I. p. 399.)

Ad dub. Episcoporum Madurens. etc.: *An et quomodo decretum sit exequendum in ea parte, quae est tenoris sequentis:* Item praecipimus, ut juxta laudabilem ecclesiae consuetudinem semper imponatur Baptizando a Baptizante nomen alicujus Sancti in martyrologio romano descripti, omnino interdictis nominibus idolorum vel falsae religionis poenitentium, quibus gentiles utuntur et neophiti hactenus appellari consueverunt, antequam per baptismum essent divinae gratiae renati,

Eminentissimi dixerunt: Moderandum esse decretum, deleto verbo *praecipimus*, cum clausula: curent, quantum fieri potest; firma remanente interdictione quoad nomina idolorum et falsae religionis poenitentium.

Feria 4. die 22. Aprilis 1733.

Die 12. Septbr. 1744.

(Bull. Bened. XIV. t. I. p. 407.)

7) An officium Sanctorum subrogari debeat ad evitandum officium feriale?

Vd.: *Officium feriale*.

8) Repraesentatio SSrum in processione.

Vd.: *Processio* (Laici Sanctos etc.)

9) Testamenti veteris.

Vd.: Altare Sancti vet. testam.

10) Veneratio.

Vd.: SS. *Trinitas* (festum privil. decr. n. 4680 nota ad finem.) *Canonisatio*; *Beatificatio*; *Reliquiae*.

Clemens PP. XIII.

Ven. Fr. Jos. Ant. Episcopo Syracusano.

§. 1. Efflagitari scribis ab Optimatibus Cleri et populi Syracusani restitutionem cultus jam pridem exhibiti Friderico Campisano, qui isthic jam inde ab anno 1325 ab omnibus Beati nomine appellatus et in Beatorum numero est habitus. Quod universi Syracusani populi iudicium plura, quae in epistola tua congeris, probare videntur non levia argumenta. Campanas enim narras sua sponte edito sonitu urbem omnem de ejus obitu monuisse; quo miraculo excitatum Episcopum cum universo populo illuc prope profectum, ubi Fridericus extremum diem obierat, sacrum corpus veneratum esse et Syracusas sol. pompa translatum in arca marmorea prope

portam majoris templi collocasse, supra sepulchrum appositam ipsius imaginem, faculas accensas et hinc et hinc votivas tabellas circumjectas; esse, qui in suis scriptis post duo saecula illi nomen Divi tribuerit et adhuc aetate sua hunc cultum viguisse duo testari e Societate Jesu Scriptores; baculum ejus Friderici cum caeteris SSrum reliquiis in Sacratio Syracusani Collegii Societatis Jesu asservari et in quadam tabula inter alia SSrum nomina etiam B. Friderici nomen esse repertum.

§. 2. Cultum vero non interdictum aut vetitum sed aut vetustate obsolescisse aut esse intermissum, quod Friderici corpus satis inconsulte cum aliis corporibus mixtum per occasionem Ecclesiae instaurandae in B. M. V. Sacellum translatum fuerit. De his vero omnibus et si quae sunt alia, quae diligenter in Epistola tua persequutus es, ordinaria auctoritate iudicas probationes in acta publica redigat Fraternitas tua processumque constituat. Eo conjicias oportet legitimam et judicialem Imaginis Friderici recognitionem, vetustatem etiam inscriptionum rite examinandam, praeterea testium aetate seniorum dicta iudice sumpta, tum auctorum, qui de Friderico memoriae prodiderunt, omnia, quae in literis tuis profers, testimonia; et si quidem ex his actis colligas Cultum Friderici fuisse exhibitum centum annis ante decreta praedecessoris Nostri fel. rec. Urbani VIII., tum poteris illi cultum restituere.

In quo examine omnis adhibenda est diligentia, ne alterutrum contingat vel ut Beato cultus aboleatur, quem juxta decreti memorati Urbani VIII. sublatus non oporteret, vel cultus retineatur, qui fortasse tollendus esset, quod non haberet vetustatem centum annorum a die, quo illa decreta sunt edita, retro computandorum. Rem

omnem cum Theologis virisque harum rerum intelligentibus communicabis. Quid autem egeris, id ordinaria tua facias auctoritate. Cum enim agitur de conservando cultu erga Dei servos, quem obtinuerint vel ex ap. indultis vel ab immemor. tempore, Ordinariorum solum est onus examinare, sintne vere in aliquo ex casibus ab Urbano exceptis; et si viderint cultum eis exhiberi et casum esse inter exceptos, cultum abolere non debent; atque etiam servatis servandis praesertim vero forma a Conc. Trid. praescripta Sess. XIV. de *Invocat., venerat. et reliquiis Sanctorum* poterunt ferre sententiam, quae in his casibus non indiget ap. confirmatione. Caeterum ap. auctoritati nostrae tantummodo tunc esset in hac re locus, cum causae de casu excepto afferrendae ad ap. Sedem consueta via iniretur et ratio.

Datum Romae die 16. Aug. 1763.

(Bull. r. continuatio t. II. p. 394. Ed. Rom. 1837.)

SANCTUS.

1) In Breviario.

Ad dub.: An sicut in Missa a choris cantatur alternatim V. *Sanctus* etc. dici etiam alternatim debeat in Hymno: *Te Deum laudamus* etc. saltem ubi dicitur ab immemorabili consuetudine, contra quam nunc exurgit quidam Calendarista?

S. eadem C. rescribendum censuit: „Affirmative“.

Et ita declaravit. N. 4474 ad 18. Die 2. Maii 1801.

2) In Missa.

In Cathedrali et aliis Ecclesiis Aretinae dioecesis plurimis abhinc annis obtinuit consuetudo, ut per totam octavam Corp. Chr., dum agitur Missa de

SS. Sacram., hymnus triumphalis *Sanctus* post praefationem interpoletur verbis cantici rythmici: *Divinum mysterium*; immo rythmus canitur elata voce et hymnus triumphalis dicitur voce submissa, dum pulsantur organa, ac proinde quaeritur: An hujusmodi consuetudo laudanda sit et retinenda et quatenus negative: An rythmus *Divinum mysterium* cani saltem posset extra missam?

S. C. resp.: Permitti posse, dummodo non ommittatur solemne trisagium.

Die 1. Sept. 1838.

SANCTUS ET SACER.

(Differentia inter haec verba.)

Benedictus XIV.

Ex constit.: Postquam intelleximus etc. de nova Martyrologii editione: Nec majoris momenti sunt cetera, quae pro Clemente Alexandrino superius relata sunt, atque illud cum primis, quod „beati“ ac „sancti“ nomine a multis donetur. Horum agmen, uti vidimus, ducit Eusebius, cujus verba e s. Alexandri Jerosolymitani epistola deprompta supra produximus, quae juxta versionem Henrici Valesii ita sonant: „*Sanctum Clementem Dominum item meum*“. Verum si verborum proprietatem ad graecum textum exigamus, „sacer“ potius quam „sanctus“ Clemens vocandus est; ita namque graecus sermo habet: τὸν ἱερὸν Κλημεντα. Sed etsi ultro daremus „sancti“ ac „beati“ nomen Clementi Alexandrino fuisse tributum, non ideo tamen de singulari illius sanctitate iudicium ferendum est. „Sancti“ denominatio primis ecclesiae temporibus religionis potius, quam christiani profitebantur, quam probati cujusque moris indicium erat. „*Qui olim christiani*“, inquit Spondanus in Eptome Annalium Cardinalis Baronii ad ann. Christi 43

num. 4 „*idem nominabantur sancti, ut a Paulo saepe ac Luca, posterisque Ignatio, Philone, Polycarpo, Tertuliano et aliis*“. Hinc, ut in lib. 4 „de canonisatione sanctorum“ par. 2, cap. 27. num. 14 satis probavimus, unus „*sancti*“ titulus par non est, ut corpora, quae ex catacumbis efferuntur, sacro cultu donentur; sicut enim praenotavimus, in primaeva ecclesia „*sancti*“ vocabulum nec vitae sanctitatem nec martyrium pro Christi nomine toleratum, sed christianae religionis, quae cuique fidelium communis erat, integritatem declarabat, successu temporis, ut Spondanus animadvertit, „*sancti*“ titulus ad peculiarem vitae sanctimoniam significandam translatus est: „*Demum*“ sic ille prosequitur, „*obtinuit usus, ut illi tantummodo sancti in ecclesia dicerentur, qui eminentiori probatio-rique fulgerent morum sanctitudine*“. In hac posteriori acceptione haud facile prudens scriptor „*sancti*“ nomen Clementi Alexandrino hodie tribueret; aut si quid tale illi excideret, veniam peteret, ut revera petiit Combesius. „*De sancti titulo, quo eum aliquando ornavit Combesius, veniam petiit*“; Bibliothecae concionariae tomo. I, pag. 9; verba sunt eruditi Dominici Georgii in suis notis, quas martyrologio Adonis ad diem 19. Decembris subiecit. Eodem pertinent, quae diligens scriptor pater Michael a sancto Joseph tomo II. pag. 39 suae bibliographiae criticae Verb. „*Clemens*“ de „*sancti*“ nomine, quo Clemens honoratur, adnotavit: *In expurgatorio Hispano tom. I. pag. 134, ubi praescribitur correctio bibliothecae veterum patrum, ad tom. VI. col. 235 deleri praecipitur titulus „Divi“ appositus Clementi.*

Die 7. Julii 1748.

(Bull. Bened. XIV. t. II. pag. 431.)

SANDALIA.

1) Abbatis.

(A quo tempore concessa?)

Silvester II. PP. Ercanbaldo Abbati Fuldensi Monasterii SS. Salvatoris.

Usum sandaliorum ac dalmaticarum secundum quod ab antecessoribus nostris vobis concessum est, concedimus et confirmamus.

Die 31. Dec. 999.

(Bull. r. t. I. p. 477. Ed. Aug. Taur. 1857.)

S. Leo IX. PP. Fulconi abbati Corbeiensi.

Quia ad apostolicam sedem tam devotus, fili carissime, venisti, placuit munificentiae nostrae usum tibi dalmaticae et sandaliorum concedere.

Die 18. Apr. 1051.

(Ibid. p. 607.)

2) Canonicor. et Dignitar.

(Jus deferendi.)

Canonicus celebrans mitratus Cathedralis Panormitanae non potest uti sandaliis. n. 3052 ad 3 die 22. Apr. 1684.

Vd.: *Annulus Canon.* (decr. n. 4224.)

Usus Pontif. (decr. 4585 nota; 4593 ad 8; 4863.)

3) Episcopi.

a) *In Missa de Req. et Parasceve.*

Episcopus in missa def. non utitur Sandaliis. *Caer. Ep.* I. II. c. XI. n. 2.

In Parasceve Episcopus non utitur Sandaliis.

Ibid. c. XXV. n. 6, vd. p. 632.

b) *Subdiaconus defert et induit.*

Vd.: *Tertia* (cantatio Papa celebrante).

Subdiaconus paratus, etiamsi sit Canonicus, caligas et Sandalia velo

tecta portare debet ad Episcopum celebraturum ambabus manibus usque ad faciem elevatis. n. 15 ad 14 die 16. Mart. 1591.

Ad dub.: An post sol. missam pontif. teneatur Canonicus Subdiaconus Episcopo detrahere Sandalia vel potius ad Scutiferos haec actio pertineat?

S. C. resp.: Affirmative ad primam partem; negative ad secundam. n. 4606 die 27. Mart. 1824.

NOTA GARDELL. AD HOC DECRETUM:

Quamvis Caer. Ep. adamussim praescribit, quae in Pontificalibus vetanda agendaque sunt tam a celebrante quam a s. ministris aliisque inservientibus, et officia, quae singulis conveniunt, pro munerum diversitati ordinatim enumeret, sunt tamen aliqua, quae non erant necessario exprimenda, prout non exprimuntur, quia perquam facile deduci possunt et deducuntur ex clare expressis, cum quibus habent connexionem. Tale illud est, de quo rogata fuit s. Congregatio in proposito dubio de detrahendis Episcopo, peracta Missa pontificali, sandaliis. Equidem si dubitari potest, num Subdiaconus teneatur Episcopo pontificaliter celebranti detrahere sandalia, quia idem Caeremoniale omnino silet neque expresse jubet, ut id ab eo fiat, cessat tamen omnis dubitandi ratio, nam quod hac in parte obscurum est, facile declaratur ex alia ejusdem Caeremonialis rubrica, de ritu servando, dum Episcopus Sacrum solemne peracturus, incipit legere Psalmos, qui ponuntur pro praeparatione ad s. Missam. Praeterea quod expressis non declaratur verbis, ubi opportunus occurrebat locus, volitum tamen intelligendum est sub generali expressione, quae includit, quod non erat necessario specialiter exprimentum. Quoniam vero sandalia sacris

adnumerantur indumentis, plane consequitur, eadem non a laicis sed ab altaris ministro detrahenda esse, dum Episcopus post Missam, sacris aliis paramentis depositis, sandaliis postremo exiit.

Juxta praefati Caeremonialis dispositionem officium Diaconi est induere et exuere Episcopum sacris paramentis. Diacono vero datus est in adiutorium Subdiaconus, sed ad hunc praecise et specialiter pertinet e credentia ad solium deferre sandalia eademque aptare pedibus celebrantis. Ita *lib. I. cap. 10. §. 2.*: *Episcopo igitur incipiente legere Psalmos, affert* (Subdiaconus) *ille caligas et sandalia ex credentia sumpta, quae portat super bacili seu velo serico cooperta et adjuvante uno ex familiaribus Episcopi induit primo tibiam, et pedem dexterum Episcopi, mox sinistrum genuflexus sub cappa illius, et cum tempus erit, simul cum Diacono adjuvabit Episcopum, dum caeteris paramentis sacris induitur, quod munus, licet ad Diaconum praecipue spectet, Subdiaconus tamen coadjuvat, ubi opus est. Et iterum lib. 2. cap. 8. §. 7.*: *Interim Subdiaconus cantaturus epistolam affert ex credentia super bacili sandalia et caligas manibus velo coopertis illaque adjuvantibus duobus Episcopi scutiferis genuflexus induit primo in dextero deinde in sinistro pede Episcopi, detractis prius per scutiferum ordinariis calceis. Equidem silet idem Caeremoniale, dum res est de exuendo Episcopo; nam lib. 1. cap. 10. §. 6. legitur dumtaxat, quod Subdiaconus redit ad locum suum post Episcopum et ibi stat usque ad finem Missae, et ea finita adjuvat Diaconum in exuendo Episcopo. Et lib. 2. cap. 8. §. 81: *ibique per eosdem Ministros exiit sacris paramentis. Sed quid tum postea? Si ad Diaconum pertinet**